


133
A
133



F

anf.

SS



6.

MELETHMA PHYSICUM
DE
CORPORIBUS

GLORIFICATIS

materialiter consideratis,

Quod

Auspice æternæ gloriæ Collatore

Consensu

Amplissimi Senatus

Philosophici in perantiqua

Academia Gerana

SUB UMBONE

M. HENNINGI *Zolckmar*

Goslariæ - Saxonis, Poëtæ Cæsarei,

Publico vera Philosophia litantium examini

submittit

AUTOR - RESPONSOR

JOHANNES TOBIAS BODINUS

Wernigeroda - Saxo.


In Atrio Philosophorum Majori

Ipsis Cal. Decembr.

Horis ab 8. matutinis.

ERFFURTI, TYPIS CHRISTOPHORI KÜCHENII ANNO MDCLX,







Prooemium.

Quamnam Minerva, Sapientia & artium Dea, habeat originem, è Poëtis, vetustissimè Philosophorum prodromis, videre est. Fingunt nimirum, eam è Jovis cerebro prognatam, Musasq; ejusdem & Mnemosynes (Memoriae) esse filias. Ingeniosè. Quid enim hoc aliud, quàm Philosophiam pro dono mortalibus divinitus concessa venditare? Nemo, ut reor, id negat. Elucet hinc Philosophiae praestantia, dignitas & utilitas, quam ut jam sicco quasi pede transfiliam, suadet institutum. Cum autem in ea nulla jucundior videatur esse Scientiâ naturali, idcirco presentem laborem isti oppignerare haud dubitavi. Nimirum Dissertationem consarcinaturò ac publicae luci coneredituro primo obtutu sese Pythica offerebat, è cujus folio doctrinam de Corpore (quippe quae ad retundendam eorum sententiam, qui ex I. Cor. 15. v. 44. Corpora glorificata Spiritus futura probare adlaborant, multum facit) arripere ad salivam fuit. Ne autem confundar, mens animi est, certis cancellis & limitibus hanc nostram $\sigma\upsilon\zeta\eta\tau\eta\sigma\omega$ circumscribere, inq; tria capita, nisi chartae angustia fortean recusaverit, dissecare, hoc observato ordine: ut I. Genuinam Corporis Naturam; II. Veram de Corporibus Glorificatis cum suis fulcimentis sententiam; III. Argumentorum, quae in contrariam partem adferri posse videbuntur, enervationem exhibeat. Et quanquam probe norim, quam insignem sibi hac materia deposcat ingenii asciam, non tamen planè abstinere volui, praepriis cum in Tua, Benivole Lector, equissimâ Censura non parum praesidii mihi sit repositum. Quare, divino Numine adspirante, rem ipsam aggrediar.

CAPUT. I.

§. I.



N indaganda alicujus rei naturâ ad duos conceptus respiciendum esse, manifestius est, quàm ut ulteriori egeat indagine.

§. 2. Ad duos, inquam, conceptus, communem scilicet (qui aliàs *Contrahibilis* dicitur)

sive eum, in quo res cum aliis convenit; & *Proprium* (qui *Contrahens* aliàs appellatur) sive eum, per quem res ab aliis primò distinguitur. Ille *Genus*; hic *Differentia* communiter audit. Vide sis Arist. 6. Top. c. 4. t. 5. inquentem: *δεῖ μὲν Διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν Διαφορῶν ὀρίζεσθαι τὸν καλῶς ὀριζόμενον, Decet eum, qui rectè definit, ex genere & differentia definire.*

§. 3. Meritò ergò Naturam *Corporis* explicaturi duos ejus conceptus attendimus.

§. 4. Et quidem ex l. 1: *Phys. t. 65.* talismodi *Corporis* definitio exsculpi potest: *Corpus est substantia ex materia & formâ intrinsece constans.*

§. 5. Dicitur 1. *Substantia*. Ne autem acum in accere quærere videamur, præprimis asterisco notandum esse ducimus, *Substantiam* quantum quidem ad præsens, esse vel *Completam* vel *Incompletam*.

§. 6. *Substantia incompleta est, que sua natura ordinatur ad compositionem entis unius nature*, ut *Materia*, *Forma*, *Caput*, *Manus*, *pedes* &c. Verbo: quæ habent rationem partis vel essentialis, vel integralis, substantiarum incompletarum nomine veniunt.

§. 7. Absit tamen, ut existimes, nos è censu substantiarum incompletarum eliminare *Animam* rationalem in statu separationis constitutam. Absit, inquam, nam etiamsi tum non actu informet vel formæ vices subeat, nemo tamen, nisi effrons, facile negare audebit, eam suâ naturâ ordinatam esse ad componendum hominem. Sed hæc in transcurso.

§. 8. *Substantia completa* quid sit, è contrario, facile liquescit. Nimirum: *Substantia completa est, que rationem partis non suscipit, adeoq; naturâ suâ ad compositionem entis unius nature non ordinatur.*

§. 9. Verùm enim verò nisi datam divisionem sano modo intelligas ac explices, variis errorum labyrinthis te
in.

involvere quibus. Hos ergò ut devites, nobiscum distinguas quæsumus inter *substantiam absolutè* (sine respectu vel partis vel totius) & *respectivè* (cum respectu vel partis vel totius) consideratum. Priori modo omnis substantia est perfecta, est completa, nulla imperfecta, nulla incompleta, intellige in suo genere ; posteriori, institutâ nimirum comparatione, una substantia perfectior aut imperfectior alterâ dici potest: Etenim pars, ut pars, est ens incompletum, quia totum non est, sed ad totius constitutionem ac complementum per se ordinatur ; è contra verò totum, ut totum, est Ens completum, quia ex partibus suis omnibus constat ac perficitur. Ut proinde in divisio allata non sit tam generis in species, quam subjecti in sua adjuncta, non quidem absoluta, sed respectiva.

§. 10. Scopis his ita dissolutis, contendimus, definitionem *Corporis* §. 4. adductam exigere *substantiam completam*, utpote cujus species *Corpus* & *Spiritus* communiter (rectè) audiunt.

§. 11. Additur II. *Ex Materia & formâ constans*. Et hoc non potest non constare. De Materia quidem constat: *Dari enim corpus, inquit alicubi Scaliger, sine materia, est dari sonnium sine somno* ; vel si mavis, quod de nostris addimus: *Corpus sine materia est panis sine farina*. Sed quid ludimus? Excusè, & ut solet, acutissimè acutissimus ille & per Europæum orbem famigeratissimus *philosophus Zeisoldus* hanc rem pertractat *l. 1. Inst. Phys. Sect. 2. Art. 1. punct. 3. §. 38. seqq.* item *Theor. Princ. phys. Diss. 5. §. 17.* qui videatur. Nec est, quod dubites de Forma. Hæc enim (puta *substantialis*) corporibus dat esse, iisdemq; differentiam parit. Materia enim est pura potentia passiva & receptiva formæ, sicuti contra forma est actus Materiæ, eam informans & ad speciem contrahens. Conf. *Philosophus l. 7. Meteor. t. 48. ut & l. 2. de An. c. 1. t. 2.*

§. 12. Adjicitur deniq; III. *Intrinsèce*. Materia nempe

& forma sunt principia intrinseca sive essentialem corporis constitutionem ingredientia. Nec enim sola materia, nec sola forma præstat compositum, sed materia & forma unita. Corpus itaq; est illa tertia substantia, quæ ex materiæ & formæ, substantiarum incompletarum, unione resultat. Conf. l. 2. de An. t. 2. § 25.

§. 13. Ne tamen implicemur, sed sine obstaculo pergere queamus, notandum, vocem *Corporis* posse sumi bifariam: 1. pro corpore completo & perfecto, quod est corpus certæ & determinatæ naturæ s. speciei; 2. pro corpore indeterminato & incompleto, nulliq; naturæ certæ alligato: quomodo Materia aliàs dici solet *Corpus*. Vid. Zabar. l. 2. de prima rerum materia c. 10. p. 225. Hanc acceptionem hîc loci esse impertinentem, illam verò quadrare, ex hætenus dictis abundè clucescit.

§. 14. Formamus inde propositiones sequentes: I. *Omne corpus constat materia & forma substantiali.* II. *Quicquid Materia & Forma substantiali constat, illud est corpus.* III. *Quicquid non constat ex materia & forma, illud non est corpus.* IV. *Quicquid non est corpus, non constat ex materia & forma.*

§. 15. Ex quibus facili negotio hac occasione contra *Timplerum*, *Anthropomorphitas*, *Vorslium* aliosq; insurgere possemus, verum cum de præsentî negotio, Corporibus videlicet glorificatis, potissima nobis esse debeat cura, ut rei compendium faciamus, inoffenso pede progredimur ad

CAPUT II.

§. 1. Præsentî negotio instandum, videndum nimirum: An omnibus corporibus in quocunq; etiam sint statu, natura corporis conveniat, v. g. *An corpora glorificata sint substantia materiam & formam habentes, sive partibus essentialibus physicis constantes?*

§. 2. Hoc antequam discutiamus, quædam prænotanda

tanda sunt, nimirum in quolibet considerationis subiecto duas occurrere partes, quarum una dicitur *Materiale*, quod Materie vicem tenet; altera *Formale*, quod formæ loco est, & formæ instar materiale determinat. *Materiale* *βάν* est & fundamentum, cui *formale* superstruitur; *Materiale* commune est, *formale* proprium; *Materiale* in se indeterminatum est, *formale* verò ejus est determinativum. *Illud aliàs Res considerata; Hoc autem Modus considerandi* (Ratio sub qua) vocari sivevit. Vid. Zabara. l. de trib. precogn. c. 2. item l. 1. de Nat. Log. c. 18. col. 43. ut & l. de scient. Nat. constit. c. 3. col. 9.

§. 3. Ex hisce sic positis & expositis lucidissimè effulget, *Corpora Glorificata*, ut quidem talia sunt, sub subiecto Physicæ non contineri, cum non comprehendantur sub formali subiecti Physici, utpote quod est *Corpus naturale, quatenus tale est*. Hoc tamen non obstante, quia materiale (tò corpora) ad Physicam spectat, Physicus illud rectè sibi appropriat ac perpendendum sumit, quicquid sit de formali, quod Theologicum est.

§. 4. Quemadmodum autem per formale non restringitur res, sed rei considerabilitas, monstraturq; , qua ratione res cognoscenda sit, & quomodo hæc consideratio differat ab alia quacung; ejus consideratione: ita etiam impræsentiarum *Materiale* (quod est Physicum) & *Formale* (quod est hyperphysicum) se mutuò non tollunt, adeoq; eorum affectiones se mutuò non destruunt, quandoquidem hæc alio atq; alio respectu subiecto determinato attribuuntur.

§. 5. Ut tandem ad scopum collimemus, & rem in pauca trahamus, dicimus formale hoc: *Glorificata*, non destruere materiale hoc: *Corpora*. Ut proinde, quando Gentium Doctor Paulus 1. Cor. 15. 44. *corpus spirituale* resurrecturum asserit, neutiquam existimandum sit, *Corpora*, quæ resurgent, fero spiritus, cum *Spiritus* & *Corp* sint contradistinctæ species.

§. 6.

§. 6. Propius' ut res tangatur, observatu dignum est, *Corpus Physicum* dici ita dupliciter: vel *quoad substantiam*, vel *quoad qualitates*. Priori modo corpora glorificata omnino erunt physica, nullatenus posteriori.

§. 7. Melioris enodationis ergò ponantur sequentes Assertiones. I. *Corpora glorificata quoad substantiam suam sunt corpora Physica sive naturalia*. Probatur (a) In quocunq; corpore intrinsecè & substantialiter est materia & forma tanquam principia Physica essentialiter constitutiva, in illo quoq; intrinsecè & essentialiter est natura. Atqui in corporibus glorificatis dicto modo sunt materia & forma. E. in illis quoq; intrinsecè & essentialiter est natura. (b) In quibuscunq; corporibus intrinsecè & substantialiter est natura, ea verè sunt & dicuntur corpora naturalia. Atqui in corporib⁹ glorificatis intrinsecè & substantialiter est natura. E. corpora glorificata verè sunt & dicuntur naturalia. (c) In quocunq; sunt vera Corporis accidentia, nativæq; proprietates, id quoq; habet veram Corporis substantiam, & substantiales corporis partes, materiam scilicet & formam. Atqui in corporibus glorificatis sunt vera corporis accidentia, & nativæ ejus proprietates, ut quantitas, figura &c. Ergo in corporibus glorificatis est vera corporis substantia & substantiales corporis partes, materia scilicet & forma. (d) Quicquid corpori physico est extrinsecum, eiq; accidit, id ejus substantiam non tollit aut immutat. Atqui glorificatio corporib⁹ humanis, quæ sunt corpora Physica, est extrinseca, eiq; accidit, E. Glorificatio substantiam corporis humani Physici non tollit, nec eam immutat.

§. 8. II. *Corpora glorificata ratione qualitatum & status natura non sunt physica sive naturalia*. In hujus Assertionis probatione operosi ut simus, vix opus est. Innuit hoc ipsum Apostolus c. I. v. 53. inquit: *Δείξτε τὸ φθαρτὸν, τοῦ ἐνδύσαν-
τος*

Δου ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν; Oportet
 corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc in-
 duere immortalitatem, h. e. corpus hoc quoad substantiam
 manebit idem, non verò quoad qualitates dotales, quando-
 quidem uti mortuum est ἐν φθορᾷ in corruptione, ita resurget
 ἐν ἀφθαρσίᾳ in incorruptibilitate v. 42. uti mortuum est ἐν αἰμίᾳ
 καὶ ἀσθενείᾳ in ignominia & infirmitate, ita resurget ἐν δόξῃ καὶ δυ-
 ναμει in gloria & potentia. v. 43. uti mortuum est corpus ψυχικὸν
 seu animale, ita resurget Corpus πνευματικὸν s. spirituale. v. 44.

§. 9. III. Corpus spirituale quoad substantiam non datur.
 Dicimus: quoad substantiam. Nam ratione qualitatū cor-
 pora spiritualia dari, nulli inficias imus. Qualitates autem
 istæ & dotes nihil quicquam in substantia corporis nostri im-
 mutant, neq; etiam à gloriæ æternæ Collatore ad hoc dantur,
 ut substantiam corporis immutent, verum ut illam inhabi-
 tent, & peculiariter perficiant. Non itaq; datur, imò non
 potest dari corpus spirituale quoad substantiam, implicat si-
 quidem contradictionem esse corpus & esse corpus spirituale
 quoad substantiam sive spiritum, cum sint contradistinctæ spe-
 cies. Hinc probè attendenda sunt verba Paulina, quippe quæ
 non inter se opponunt Corpus naturale & spirituale (Φυσικὸν
 καὶ πνευματικόν) sed Animale & spirituale (Ψυχικὸν ἢ πνευματικόν)
 Res huc redit: corpus nostrum erit coeleste & spirituale, quia
 habiturum est spirituales qualitates, nempe non amplius e-
 det, bibet vel ægrotabit. Neq; enim erit tale animale, qua-
 le nunc videre est in integerrimâ etiã valetudine; imò neq; ta-
 le, quale fuit in πρωτοπλαστοῖς, quod licet perfectissimū, nihilo-
 minus tamen fuit animale tum qua substantiam, tum qua sta-
 tum naturæ, indigebat namq; cibo & potu ad partium absum-
 tarum restaurationem ordinatumq; erat ad generationem &
 propagationem generis humani, &c. Sed erit gloriosum &
 spirituale, qualitatibus spiritualibus præditum. Phil. III. 21.

B

Qua-

Quamobrem dicimur futuri *ἰσχυροὶ*, ut *Angeli* & Spiritus manente carne & sanguine, non *Angeli* & Spiritus. Sed omnia curiosè perlustrare superfedemus.

§. 10. Paucis: Corpora à mortuis resuscitata erant Spiritualia, id quod intelligendum est (1) *σρητικῶς* sive *privative*, & 2) *θετικῶς* sive *positive*. *σρητικῶς* quidem sive *privative*, quia non erunt exposita infirmitatibus, fami, siti, morbis & tandem morti quibus obnoxia est natura animalis: nec indigebunt cibo, potu, somno, vestibus ad individui: nec re venerea, ad speciei conservationem, quibus omnibus opus habent corpora *ψυχικά*. Conf. Apoc. VII. 15. Matth. XXII. 30. *θετικῶς* autem sive *positive* sumta important quasdam proprietates spirituales (*quasdam*, inquam, non *omnes*: si hoc, multò minus in *Spiritus* mutabuntur) puta *incorruptibilitatem*, *agilitatem*, *potentiam* &c. Pluribus hæc, & ex professo, discutit cathedra Theologica.

§. 11. Ne tamen quicquam remaneat, quod dubii anfam suppeditet, sciendum, vocabulum *Corporis* sumi (a) *generaliter* pro omni eo, quod opponitur *φάσει*. Hæc modo ipse quoq; Deus Tertulliano dicitur *Corpus*, sed admodum improprie. (b) *strictè* pro eo, quod aliquo modo est compositum. Sic solus Deus est incorporeus, creaturæ omnes corporeæ. (c) *strictissime*, pro eo, quod ex materia & forma intimè & essentialiter conflatum est. Et hæc *Corporis* acceptio uti propria & maximè usitata est, ita & in discursu hætenus allato meritò intenditur & indigitatur.

§. 12. Ne & insuper legentium oculis glaucoma objicere videamur, definitioni *Natura* paulisper invigilabimus, ut, An ea Corporibus Glorificatis conveniat, intelligatur. Esto hæc: *Natura est principium movendi & quiescendi ejus rei, in qua primo & per se inest.* *Φύσις*, inquit Arist. 2. Phys. 1. *ἐστὶν ἀρχὴ τις καὶ αἴτια τοῦ κινεῖσθαι, καὶ ἡρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρῶτως καὶ αὐτῆ* qui Vid. ut & Excell. Zeisold. l. 1. *inst. Phys.* p. 63. *seqq.*

§. 13. Hanc descriptionem Corporibus Glorificatis applicari posse, dicere non veremur. Quamvis enim ea nullam actualem ob statum subeant aut subire possint mutationem, nil tamen obstare censemus, quo minus principium movendi habere dicantur. Verbo: A negatione actus secundi (qui hinc ob statum impeditur) ad negationem actus primi non valet sequela.

CAPUT III.

§. 1. Huc usque ad satiem, ceu arbitramur, probatum dedimus, corpora glorificata reapse esse & manere corpora; residuum est, ut remota ulla verborum ambagione, quæ à nonnullis in contrarium afferri & solent & possunt, sub veritatis incudem vocentur, quidquid in recessu habeant, dispiciatur. Quæ inter Argumenta si sunt, quorum enodatio non nisi ex Theologia revelata excerpi atque hauriri poterit, si ad forum Theologicum pedem movere cogamur, veniam a Theologis facile nos impetraturos, firmiter nobis persuasum habemus. Sic audacter ad institutum.

§. 2. Objicis I. *Quicquid est corpus, illud (de sententia Peripateticorum) est corruptibile. Atqui corpus nostrum resurgens non erit corruptibile. Ergo corpus nostrum resurgens non erit corpus.* Minor pro palam constat ex Paulo c. 1. v. 42. ubi dicitur, corpus resurrecturum *ἐν ἀφθαρσία* in incorruptione. Resp. limitando Majorem hoc pacto: *Quicquid est corpus, illud intrinsicè, ex se & sua natura est corruptibile.* Si jam subsumitur: *Atqui corpus nostrum resurgens non erit intrinsicè corruptibile;* illico apparet, cui assurgendum sit propositioni, cui itidem ablutendum. Nimirum Major dato modo limitata in veritatis arce omnino erit ponenda; Minor non item. Quod ut cò clarius innotescat, ad sequentia oculos convertamus & mentem. *Materia ex mente Aristotelis (omniumque rectè cum Aristotele sentientium) ceu videre licet ex l. 2. de Ort. &*

Int. c. 9. t. 51. l. 1. de Cal. c. ult. t. 136. l. 7. Met. c. 7. t. 22 & 53. est
δύναμις τῆς ἀντιφάσεως, potentia contradictionis h. e. ad esse &
non esse. Spectat etiam huc, quod Materia dicatur ἀμορφῶς
sive informis l. 1. Phys. c. 7. t. 69. Est informis, intellige, in se,
quia in sua essentia nullam includit formam, si enim include-
ret, non esset materia, sed materiatum & compositum Physi-
cum: quin imò nunquam alii formæ subijci posset, quam
isti, quæ de ipsius essentia esset; id quod oppidò falsum est &
contra cotidiana m experientiam. Quod dum Philosophus
inculcare voluit, eandem l. 7. Met. c. II. t. 40. salusavit ἀόριστον
h. e. indeterminatam. Et hinc quia Materia aliis substare potest
formis, eadem est prima radix corruptibilitatis. Sint the-
mata Physica, quantum ad præsens duo: I. Omne participans
Materiam Physicam naturâ suâ (quantum ad generalem naturæ
conditionem, omnibus rebus naturalibus communem) est
corruptibile. II. Quemadmodum nulla sua natura sunt corpora
Spiritualia, ita etiam nulla sunt corpora suâ natura, quantum ad
generalem naturæ conditionem, incorruptibilia.

§. 3. Ne autem quis nostra hætenus dicta perpetuo
dente impetere queat, munimento ea firmam⁹ sequenti. No-
tandum (1) *Incorruptibile* dici aliquid bifariam (a) ex se & *in-*
trinsece, quod quantum ex se est, nullius mutationis vel cor-
ruptionis capax est. Hujus incorruptibilitatis fons, quia est
immaterialitas, hinc spirituales substantiæ h. m. dicuntur *in-*
corruptibiles. (b) *extrinsece* seu propter extrinseca, quando
nim/res ex se & sua natura corruptibilis est, quod autem non
corrumpatur aut corruptioni sit obnoxium, unicè id fit pro-
pter defectum agentium vel contrariarum qualitatum, quæ
disponunt materiam ad sustinendam corruptionem. Impedit
absentia vel impotentia agentis quo minus res, quæ *intrinse-*
câ naturæ conditione corruptibilis est, unquam corruptio-
nem sustineat. (c) *Corruptibile* aliquid dici itidem dupliciter:

(a) *per*

(a) *per potentiam primam & incompletam*, quæ est potentia nuda sine dispositionibus. Et h. m. quodvis corpus propter materiam, quæ est *διναμικὴ ἢ ἀψιφάστος*, habet corrumpendi potentiam. (b) *per potentiam completam & proximam*, quæ priori superaddit dispositiones & qualitates contrarias qualitatibus aliorum agentium, ratione quarum ab illis pati potest & ejus forma expelli.

§. 4. Prodeant jam Assertiones duæ: I. *Corpora glorificata sunt corruptibilia intrinsece & per potentiam primam*. Patet hoc, quandoquidem æquè materia in altera vita manebit, ac in hæc. Nunc autem materia nullam in sua essentia includit formam, adeoque in se spectata aliam suscipere potest: quæ potentialitas est fons & origo corruptibilitatis. II. *Corpora glorifica a extrinsece sunt incorruptibilia*. Nihil quicquam erit, quod passionem & dolorem iis inferre queat: erit in iis divina quædam qualitas, quæ ab omni corruptiva alteratione eadem defendat: non lædentur ab æstu vel frigore; non à ferâ bestiâ imminabit periculū, nec igne nec gladio poterunt penetrari, 1 C. r. XV. 43 51. 53 Apoc. VII. 16. XXI. 4. Ut proinde hæc incorruptibilitas non sit *intrinseca* & quantum ad generalem naturæ conditionem, sed *extrinseca*, & quantum ad peculiarem naturæ conditionem. Verbo: Incorruptibilitas ista ex alio principio est. Quoad actum duntaxat, non quoad potentiam suam primam naturalia in rebus natura constantibus per supernaturalia tolluntur. Conf. Excell. *Zeisoldus Coroll. ad Disp. VIII. Theor. Corp. nat.*

§. 5. Instas: *Potentia illa contradictionis in altera vita cessabit, & consequenter etiam ipsa corruptibilitas*. Consequentia jubare meridiano clarior est, quandoquidem potentia ea imperfectionem dicit. R. Si materia absolutè spectetur, potentia ista nullam in ea importat imperfectionem; cum de ejus essentia sit. Essentia autem materiæ, quæcunq; etiam
b 3 fuerit,

fuerit, bona est, cum originem Deo debeat. Quod v. materia in comparatione ad alia, præprimis ad formam, à quâ ipsi perfectio, imperfecta dicitur, essentia eius nihil præjudicat. Quis ergò non videt instantia datæ fragilitatem?

§. 6. Obvertis II. Omnino corpus spirituale quoad substantiam rectè statuitur cum Origene, ὅτι οὐδὲ καὶ αἷμα βασιλείαν θεῶν κληρονομήσαι οὐ δύναται, quia caro & sanguis regni Dei hereditatem consequi non possunt, dicente Paulo I. Cor. XV. 50. Resp. Profecto cerebellum aut nullum aut carie exesum habet. qui non videt aut intelligit, magnificum Christi discipulum (Paulum, intellige, qui ita à Nazianzeno nuncupatur) carnem sumere pro operibus carnis, quæ regnum Dei non possidebunt Gal. V. 21. Caro enim innuit veterem hominem, quemadmodum Spiritus novum, sicuti constat ex Rom. II. 9. Errant hîc Turcæ & Mahometistæ, qui (ut Dieterici verbis utar) suavissima vitæ futuræ convivium, & carnalia voluptatum pomœria sibi stolide imaginantur. Quod autem Apostolus c. I. carnem pro operibus carnis sive adhærente naturæ vitio sumat, abundè arguunt verba hæc subsequa: οὐδὲ ἡ φθορὰ τῆν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ, neq; corruptio incorruptibilitatis hereditatem consequitur. Paucis: Paulus loquitur de carne & sanguine ratione culpe, quomodo omnino regno Dei excluduntur; non verò ratione natura aut substantiæ. Si enim hoc, utiq; Hiob contrarium dixisset his verbis: וּמִבְּשָׂרִי וּמִדָּמִי אֶחְיֶה אֱלֹהִים & in CARNE MEA videbo Deum c. XIX. 26. Non possumus, quin verba Hieronymi adscribamus: Quid, inquit, hanc Prophetiã manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quàm iste (Hiob) ante Christum de resurrectione loquitur. Sed quid multis? Si excluderetur omnis caro & sanguis ratione substantiæ, neq; ipsius Christi caro in regno Dei locum haberet, id quod dicere, nefas & impium est. Sed cur discursum nostrum citra necessitatis telum prolatamus?

§. 7. Ob-

§. 7. Obergannis III. Omnes, quos πανολεθρας termini-
nus deprehendet *immutabuntur*. 1 Cor. XV. 52. Resp. Quid
tūm? Omnino isti, quos dies Pantocriticus vivos ac super-
stites deprehendet, immutabuntur, ac è statu mortalitatis &
corruptionis in statum immortalitatis transferentur. Muta-
tioni itaq; erunt obnoxii, non quidem ratione substantiæ, sed
accidentium.

§. 8. Oggeris IV. Deus teste Apostolo 1. Cor. VI. 13:
ventrem destruet. Resp. Illa destructio non est intelligenda de
ventris substantia, sed de naturali ejusdem usu & abusu. Ab-
usum quod concernit, de eo res est in propatulo. Vid. totus
contextus. De usu etiam res non adeò difficilis est, quando
quidem venter assumit cibum, qui ad necessarium hujus vi-
tæ, quæ non est perpetua, usum est conditus. Corpora autem
glorificata non indigebunt cibo, potu &c. ceu ex præced. cap.
liquefcit.

§. 9. Instas: Phil. III. 21. dicitur, quod corpora piorum
conformia futura sint glorificato corpori Christi. At verò come-
stio post resurrectionem à Christo fuit facta. Joh. XXI. 15. E-
responsio hæc non quadrat. Resp. Christus edit καὶ οἰκονομίαν
ut loquuntur, sive secundum dispensationem, non ex quadam
naturæ indigentia aut necessitate, sed ut veritatem resurre-
ctionis demonstraret. Hinc & nobis non potestas edendi &
bibendi, sed tantum egestas c. I. auferri dicitur.

§. 10. Crocitas V: Nullus partium organicarum us-
sus in altera vita est futurus. Matth. XXII, 30. Marc. XII. 25.
Luc. XX. 35. Resp: (a) Beati non indigebunt conjugali opere,
quia numerus eorum tunc erit adimpletus. Neq; opus erit
generatione ad conservandam speciem, quia beati sunt im-
mortales. (b) A defectu unius usus ad omnimodum nulla
prorsus valet consequentia. Quid? Videmus etiam in hæc
vitâ, multorum membra officiis suis non fungi, qui tamen,
nemi-

memine sanorum inficiente, sunt & manent homines. Exempla affert *Tertullianus c. 61. de infructuosis virginibus Christo maritatis* (c) Omnino futurus est suus organicarum partium usus in altera vita, tum quia pertinent ad corporis constitutionem ac integritatem, *Ezech. XXVII, 3. ps. XXXIV. 22.* tum quia fas est, ut corpora reportent mercedem actionum bonarum. *2. Cor. V, 10. Luc. XVI, 25.* tum quia Deus laudabitur membris corporeis. *Phil. II, 10, 11.*

§. 11. Opponis demum VI. cum Origene: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* *Rom. VIII. 8.* Resp. idem, quod supra §. 4. fuit responsum, reponi potest. Nimirum, qui ambulant secundum carnem sive carnales voluptates, Deo placere non possunt. Nil ergo contra nos. Adjicimus verba *Athenagora* (qui fuit *Ἰουστίνου ὁ ὕψιστος*) *l. de resurr. mort. p. 483.* Sic sonantia: *Sicut corpus fuit socium animae in actionibus passionibusq; tam virtutum quam vitiorum: ita etiam debet habere in pœna vel premis idem consortium.* Hæc ille, cui addi potest *Ambrosius Mediolanensis ille Episcopus, in Orat. de fide Resurr.*

§. 12. Et hæc pro ratione instituti nostri de *Corporibus glorificatis*, salva aliorum autoritate, dicta sunt. Si qui nodi adhuc secandi, uti esse facile nobis persuademus, eos ad *σὺνπαροῦν* reservamus. Finem imponant verba *Monica* matris Augustini: *Evolemus hinc! Evolemus hinc!* ut glorificati Deum sine fine videamus, sine fastidio amemus, sine defatigatione laudemus! Hic in spe, illic in re! Faxit hoc

UNITRINA ÆTERNITAS!

DE Corporum decore
Et gloriâ æviternâ

Dum sistis hîc loquelam,
Mox gloriam decusq;

Certò Tibi parabis.

*Ita Tibi, Amicorum gemma,
properiter adplaudebat*

Tuus

M. HENNINGUS *Woldmar*/ PRÆSES.

COrpus nocte, morâ, terræ molisq; solutum
Legibus expendis. Dignus honore labos!

Quale suo maneat privatum pondere corpus,
Altiùs expendas. Dignus honore labos!

*Prostantis. literatissimog. Dr. Bodino in cursu philosophico
prævi pergenti sanste acclamationis ergo p.*

M. CHRIST. MÜLLER SAXO.

99 A 6919

ULB Halle

3

002 631 202



56.


Reho. ✓

VD17



DISP
T





6.
MEΛETHMA PHYSICUM
DE
CORPORIBUS

GLORIFICATIS

materialiter consideratis,

Quod

Auspice æternæ gloriæ Collatore

Consensu

Amplissimi Senatus

Philosophici in perantiqua

Academia Gerana

SUB UMBONE

M. HENNINGI *Zolckmar*

Goslariâ - Saxonis, Poëtæ Cæsarei,

Publico vera Philosophia litantium examini

submittit

AUTOR - RESPONSOR

JOHANNES TOBIAS BODINUS

Wernigeroda - Saxo.

In Atrio Philosophorum Majori

Ipsis Cal. Decembr.

Horis ab 8. matutinis.

ERFFURTI, TYPIS CHRISTOPHORI KÜCHENII ANNO MDCLX,